

endo mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum hujusmodi nostras clausas litteras, quas vobis lator presentium assignabit, eidem Archiepiscopo presentantes, ipsum ex parte nostra moneatis, et diligentius inducatis, ut hujusmodi nostris salubribus consiliis infra predictum terminum acquiescat. Nos enim recipiendi ab eodem Archiepiscopo cessionem hujusmodi vice nostra plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus etiam, ut eidem prenuntietis Archiepiscopo, quod si nostris monitis, mandatis, et consiliis super hoc parere curaverit, de gratia et misericordia Sedis apostolice, que obedientibus ejus beneplacitis sue dulcedinis ubera porrigit non diffidat. Sed si elegerit perire potius quam parere, nos ne culpas suas nostras facere videamur dissimulare ulterius non poterimus, quin ad indagandum et puniendum in eo graviter ejus excessus exigente justitia constanter, auctore Domino procedamus. Taliter igitur hujusmodi nostrum preceptum adimplere curetis, non obstante indulgentia, qua Fratribus vestri ordinis a predicta Sede dicitur esse concessum, quod de causis, seu negociis, que ipsis a Sede committuntur eadem inviti cognoscere, seque de illis intromittere minime teneantur, ut possitis a nobis de zelo prompto obedientie non immerito commendari. Vestrum autem in hac parte processum, et quicquid idem Archiepiscopus super hoc fecerit, nobis vestris litteris harum seriem continentibus fideliter intimetis. Datum ut supra.

498.

1264 d. 7 Jul.

Rom.

Påfv. URBANUS IV:s befallning till Biskopen i Wiborg och Aarhus att med ett Canonicat förse Subdiaconus PETER i Lund, om han dertill var skicklig.

F. 1: 294. An. 3. Ep. 1712.

*Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus . . .
Wibergensi, et . . . Arusiensi Episcopis. Salutem &c.*

Volentes dilectum filium Petrum Subdiaconum Lundensem nullum sicut asserit ecclesiasticum beneficium assecutum obtentu dilecti Fratris Hermani de ordine Predicatorum Cappellani, et Penitentiarij nostri nobis pro eo humiliter supplicantis, et laudabile testimonium perhibentis de ipso favore prosequi gratie specialis, Fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Subdiaconum dummodo sit ydoneus, et aliud canonicum non obsistat in Ecclesia Lundensi recipi facientes auctoritate nostra in Canonicum et in fratrem, vos vel alter vestrum scilicet de prebenda si qua idem vacat ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas providere curetis. Non obstante statuto de certo Canonicorum numero

juramento confirmatione Sedis apostolice, seu quacumque firmitate vallato, vel si pro aliis idem scripta nostra direximus, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, seu si. . Archiepiscopo, et Capitulo Lundensi a Sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli, aut excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint, per litteras Sedis ipsius non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, vel qualibet dicte Sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis. Contradictores auctoritate nostra &c. *usque* compescendo. Datum apud Urbemveterem Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

499.

1264 d. 22 Oct.

Roskild.

Konung ERIK IV:s i Danmark stadfästelse på några Domkyrkans rättigheter inom Lund.

A. 5. a. 1: 1. *)

ERICUS dei gracia Danorum Sclauorumque Rex omnibus presens scriptum cernentibus in domino salutem Vniuersitati vestre tenore presentium constare volumus euidenter quod quidquid iuris ecclesia beati laurencij Lundis tempore dilecti patris nostri bone memorie & progenitorum nostrorum habuisse dinoscitur in ciuitate lundensi siue in platea que dicitur Saxægilde strætæ in nundinis scaniensibus id ipsum ad vsum ecclesie memorate sine diminutione qualibet in perpetuum volumus conseruari precipientes tam camerario nostro quam prefecto ceterisque officialibus nostris ne se de libertatibus dicti comiurij quas habet in ciuitate Lundensi siue eciam de predicta platea aliquatenus intromittant Vnde ne dicta ecclesia in posterum aliqua occasione iure suo priuetur quod ab antiquo in ciuitate prenominata seu eciam in platea memorata dinoscitur habuisse presentem paginam sigillo nostro signaari fecimus in testimonium et cautelam Datum Roskildis anno dominij MCCLXIII kal. nouembris Vndecimo Teste domino cancellario.

500.

1265.

BIRGER JARLS stadfästelse på ULFHILD BIRGERSDOTTERS gåfva af Hultakil till Wreta kloster.

D. a. 8: 1421.

Omnibus presentes litteras inspecturis Birgerus Dei gratia Dux Svecorum in omnium Salvatore salutem. Tenore presentium, tam futurorum

*) Efter en af Abbot PETER BERTISSON m. fl. i Allhelgona-Kloster gjord afskrift d. 23 Apr. 1502.